

V C  
3997



335



335, 10<sup>o</sup> u. II.

V c  
3997

GUSTAVI ADOLPHI

Königs in Schweden Vrsachen,  
warum er in Lufftland eingerückt  
Lateinisch und Teutsch  
1630.





CAUSSÆ,

*ob quas*

Serenissimus ac potentissimus Prin-  
ceps ac Dominus,

DOMINUS

GUSTAVUS

ADOLPHUS,

SVECORVM, GOTHORVM,

& Vandalorum Rex, Magnus Princeps Finlan-  
diæ, Dux Esthoniæ & Careliæ, nec non

Ingriz Dominus,

tandem coactus est

*Cam exercitu in Germaniam*

*movere.*



STRALSUNDI excusæ

---

Mense Julio Anni M. DC. XXX.

LITERIS FRIBERIANIS.

GAUSS

GUSTAVUS  
ADOLPHUS

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

STRASSEN  
M. D. C. XXX





Etus verbum est, neminem diutiùs pace  
frui, quàm vicino suo placuerit. Id quàm verum  
sit, magno suo incommodo his annis experta est,  
& adhuc quotidiè experitur S. R. Majestas, Sveciæ.  
Etsi enim nihil sollicitiùs operam dederat toto  
Imperij sui tempore, quàm ut illibatam cum o-  
mnibus vicinis, ac imprimis Germaniæ Statibus amicitiam serva-  
ret, quò pax & tranquillitas ex omni parte florent, & commercia,  
cæteraq; pacis studia in mutuarum gentium emolumentum, exco-  
lerentur: nihilo tamen magis obtinere poterat, quàm ut à quibus-  
dam publicæ pacis osoribus ( postquàm totam ferè Germaniam  
cædibus & incendiis vastârint ) suæ quoq; securitati, de anno in an-  
num, majores insidiæ structæ sint. Monita quidem jamdudum fuit,  
etiam à non paucis Germaniæ Ordinibus, ut sibi maturiùs provi-  
deret, dum illud incendium adhuc in superiori Germania flagraret;  
nec putaret eos sibi amiciores fore, si propiùs admitterentur: sed  
arma tum statim sumeret; veniret in Germaniam; & communibus  
viribus commune incendium restingueret; certè, tunc res etiam  
suas agi, pariès cum proximus arderet. Nec defuit S. Sux. R. Mti,  
tum temporis, vel illustris occasio; invitantibus incolis, exteris in-  
stigantibus; vel justa causa; oppressis, amicis, necessariisq; opem  
& levamen tam enixè efflagitantibus. Verùm quod semper spera-  
ret eos æqviores tandem fore, quàm ut tam impotenter innoxia vi-  
cinitati insultarent; ex suo ingenio eorum quoq; mores metita-  
maluit securitatem propriam tantisper Dei & innocentis conscien-  
tiæ bonitati commendare, quàm quidquam in eo præcipitantiùs  
agere.

Cum autem Anno M. DC. XXVI. propriorum bellorum  
caussâ, quæ sibi cum Rege & Republica Polonâ intercesserant, in  
Provinciam Regni Poloniæ Prussiam moveret, ac propiùs obser-

vare inciperet, quid sibi de dictis Germaniæ grassatoribus promittere deberet: adeò haud vana fuisse amicorum monita deprehendit, ut quò magis ad has Balthicas Germaniæ provincias inimici appropinquarent, eò plures majoresq; ab ijs indies etjam adversum se bellorum occasiones feri videret. In primis enim eodem anno literas S. R. *Mti* ad Principem Transylvaniæ, violato jure gentium, interceperunt, referarunt, ac, in sui invidiam confictâ verborum interpretatione, publicarunt, ipso etiam internuncio in carceres compacto. Deindè, tametsi non obscura spes sæpius affulgeret, diuturnæ controversiæ Sveo-Polonicæ per amicos tractatus componendæ; Commissarijs regnorum utrinq; de anno in annum comparentibus: id tamen effecerunt ijdem communis pacis osiores, per repetitos nuncios ac literas in Poloniam suas, ne pax ulla cum Svecia statueretur, anteqvam isti destinata sua in Imperio Romano peregissent: spe facta, fore, ut, Ordinibus Germaniæ in ordinem redactis, se quoq; Poloni, ad Sveciam subjugandam, haud impigros auxiliares haberent. Atq; ut, quod verbis promiserunt, reipsâ quoq; præstarent, mediisq; omnibus, quantum in se esset, tum Sveciam exuerent, tum confirmarent Polonos: non solum omni militis & armorum à Germaniâ exportatione S. R. *Mti*. Sveciæ interdixerunt; liberam verò eandem, suis tunc hostibus, Polonis reliquerunt: Sed etiam, cum id parùm videretur, ac nihilominus ad Serenis. Regem Sveciæ non solum aliundè, sed vel iis invitis ex Germania ipsa copiosum militem confluere cernerent; anno statim sequenti M. DC. XXVII. Ducem Holsatiæ magnâ cum manu, contra eam, in Prusiam submisserunt: idq; non sub suis, aut Poloni, sed ipsius Imperatoris Romani signis.

Nec eâ hostilitate contenti, sed ut ab omni etiam humani generis foedere regnum Sveciæ penitus arcerent, non modo subditos S. R. *Mtis*, innocentis commercij causâ ad Germaniæ littus appulso, ablatis vi mercibus, navibusq; confiscatis, iniqve spoliarunt: verùm etiam per emissarios Lubecæ, & apud cæteras urbes Vandalicas, id unicè egerunt, specie quidem, ut commercia ad eas solas restringerent, re autem verâ, ut eâ subditis regni Sveciæ adimerent, ac per hanc occasiõnem, naves classemq; cogere, quâ conceptum animo



animo virus etiam in ipsum mare Balthicum eructarent: prout anno statim sequente, portentosis maritimi Generalatus titulis, omnisque Megapoleos & Pomeraniae tam terrestrium locorum ac munitamentorum, quam ipsius littoris ac portuum occupatione, tum actibus insecutis, manifestius ostenderunt.

Quae omnia iudicet quicumque potest, tolerari fortassis debuisse &, ad vitandam alienae rei curiositatem, patientiam transmitti potuisse, dum adverso se continenti adhuc tenere: certe, postquam electo portu Sundensi, pro piraticae suae receptu, in ipsum etiam mare extenderentur: quanto id majori cum omnium, quacumque necessitudine ab hoc mari dependentium, Statuum praedicio fiebat; tanto minus a Sereno Rege Sveciae ferri debebat; praesertim vero cum iusta huius maris tutela ab antiquo Regum Sveciae peculiaris fuerat.

Accedentibus igitur ad superiora amicorum monita, tot etiam injuriis, cum tanto jara cantior vere novo anni M. DC. XXVIII. in Prusiam iterum trajiceret S. R. Mtes. nil magis sollicita, quam tunc his incommodis honesta ratione mederetur: accidit, ut Legati urbis Stralsundensis ad S. R. Mtem in Prusiam venirent, qui graviter querebantur, quod, tametsi nec Imperatorem Romanum, nec Imperium ipsam, nec ullum Imperij Ordinem, quidnam admisisset innoxiam eorum Civitatem, cujus causa, tantum abest, ut unquam eitata aut accusata, vel convicta aut condemnata esset, ut etiam Imperiali Decreto & innocens sit declarata, & obsidentis exercitus abduktione assecurata: tanta tamen fuerit infesti exercitus iniquitas, ut sprete hac ejus innocentiam; neglectis juribus ac constitutionibus Imperij; contempto cum Pomeranis inito Contractu Arnheimblano; posthabitis pluribus aliis diversorum temporum pactis (quibus omnibus suae securitati sincerissime cautum videbatur) nec considerata tanta indebita exacta solutaque pecunia, donis & muneribus; ipsa etiam religiosae profanaeque pacis sanctimoniam temerata; inprimis vicinos civitatis pagos vastaret; urbis territorio varia munitamenta imponeret; portui incumbentem Insulam Dehnholm, sine ulla inimiciae denunciatione, ex insidiis captam, in ejus praediciam muniret; omnes ex continente in Rugiam, ex urbe in continentem, & vice versa, transitus occuparet; cives vario tractatum.

ludibrio venaret; maximo tributo exhaustis etiam praefidia impet-  
raret, portumq; adeo ipsum, naves ac tormenta exposceret: ac tan-  
dem his omnibus, a privilegiata libertate, negatis, urbem ipsam  
arctissimâ obsidione premeret: ferroq; ac flammâ ad extremum  
usq; indignissimè persequeretur.

Cum ergo Imperatoris hinc decreta nihil efficerent; Illustrissi-  
mus Dux Pomeraniae non vellet eos juvare: a Societate Anseatica  
quasi pro derelictis haberentur: jure moreq; gentium, indultu pri-  
vilegiorum, Majorum suorum exemplo, coactos externae potesta-  
tis adminicula implorare, donec tam inopina belli tempestas desce-  
dret. *Sermi* Daniæ Regis subsidia, ut maximè praesentanea, pro-  
arcendo primi impetus praecipitio, tantisper quidem acceptasse.  
Nè tamen id futuro sibi praesudicio verteretur, quasi hostibus Im-  
peratoris sese associassent, nullum tandem æquius praesentiùsvè  
remedium habuisse, quàm ut oppressam libertatem in *Sermi*. Regis  
Sveciæ, ceu neutralis & amici Regis tutelam sequestrarent.

Serenissimus itaq; Rex Sveciæ, considerato imprimis, quod ni-  
hil amplius amici sibi de conatibus tam vastis, exercitùs tot hosti-  
tibus notati, promittere jam posset: attento deinde, quod hæc  
afflictae civitatis postulata, divino humanoq; jure aiterentur: tum  
eo observantiæ, vicinitatis, communium sacrorum, libertatis ac  
commerciorum vinculo, quo, cum antecessoribus suis, *Sermi* Re-  
gibus Regnoq; Sveciæ, tum sibi ipsi, semper addicta fuerat: ac de-  
niq; quanto cum, non modò suo, Regniq; Sveciæ, sed & omnium  
vicinorum, periculo conjunctum foret, se aliquis in hoc portu pi-  
raticæ excursionis nidus, a privata ejuscunq; ambitione, figere-  
tur: nullo amplius vel modo vel jure recusare potuit, quo minus  
oppressis, opem, solatium & consilium suum tam impensè rogan-  
tibus, in gratiam vicinorum & amicorum, ipsiusq; adeo tum publi-  
cæ communisq; securitatis, tantisper subveniret.

Quo consilio suo tametsi id effectum est, ut & sua constaret  
interdictis Cæsareis auctoritas? & mare balthicum, in gratiam om-  
nium nationum, quibus cum eo aliqua necessitudo intercedit, ad-  
huc tutum praestaretur; & urbs Stralsundensis in gratiam amicæ  
interventionis, S. R. Mss. à (tum temporis hostilibus) *Sermi* Regis  
Daniæ

Daniæ præsidij liberata, suæq; tum libertati tum Imperio Rom. ser-  
vata esset; prout pacta cum Civitate, ea de re inita adhuc luculen-  
ter demonstrant: nihilo tamen magis obtentum est, ut iidem illi  
pacis turbatores adhuc aliquid de hostilibus attentatis & propo-  
sito suo remitterent, ut etiam eò magis deinceps, tam mari quam ter-  
ra, in ejusdem exitium exarderent. Eo enim se portu frustratos a-  
nimadvertentes, VVismariensem cæterosq; adorti sunt: nec propri-  
js tantum navibus contenti, etiam hostium regni Sveciæ classem  
Dantisco in societatem evocarunt: vicinumq; mare adeò ceperunt  
infestare, ut coacta tandem sit S. R. Mtas, si mare & commercia sal-  
va vellet, suâ cum classe, magnisq; sumptibus & incommodis, etiam  
illic eos oclusos tenere, usq; dum iste annus qualitercunq; tan-  
dem securus elaboretur.

Nec tamen propterea aliquid de constanti perpetuoq; suo, in-  
pacem & communem harum gentium quietem, studio remitteret.  
Sermus Rex Sveciæ, quin potius ut omnes vias rationesq; tentaret  
ad amicam transactionem veniendi: cum tractatum pacis inter Im-  
peratorem Romanum & Regem Daniæ initio Anni M. D. XXIX.  
Lubecæ institutum perciperet; suos etiam eò legatos oportune  
mittendos censuit, qui tum hanc urbis Stralsundensis causam ac-  
commodarent, tum cæteras componerent simultates his annis ena-  
tas & si ad id quod; aliquid conferre possent, tractatum ipsum inter-  
ventu suo ad optatum exitum promoverent. Ita enim secum statue-  
bat, quod cum occasione ejus belli, quod Sermo Regi Daniæ cum Im-  
peratore Romano intercessit, pleræq; ejusmodi simultates enatae vi-  
derentur, nec pax cum Rege Daniæ concludi posset Stralsundio ex-  
cluso, nec ea urbs ullis pactis illigari, seipsâ non comprehensâ; ob-  
mutua cum Civitate eâ de re pacta conventa.

Licet autem Sermus Rex Daniæ gratè admisit dictæ legationis  
adventum: nec minus humaniter ac decorè idem ab altera etiam  
parte per literas quæsitum est: ea tamen humanitas ipsi vicissim re-  
posita est, ut solennis legatio sua, non modò non admitta, vel ullo sal-  
tem literario responso dignata, verum etiam magna cum indignitate  
repulsa; nec tantum urbe Lubecâ, sed toto etiâ solo Germanico, sub  
extremorum periculo atq; interminatione, abstinere jussa sit.

Quæ

Quæ sola indignitas etsi omnium gentium calculo digna  
semper judicata est justissimâ vindictâ; nec quidquam causæ supe-  
resse videbatur, cur amplius ab asperioribus remedijs abstinendum  
esset: cum tamen Delegati Casarei tandem, post Svecicos in re-  
gnum revocatos, mense Martio literas legationis regiae literario  
responso agnoscerent, quo, velut excusando, lenire velle videban-  
tur prioris sententiæ iniquitatem: S. R. M<sup>tes</sup> quoq; à malis poti-  
ùs quibusdam consultoribus, quàm consilio publico profectam  
eandem tantisper duxit; nec tantam adhuc esse sivit, ut sufficere  
videri deberet, et jam cum cæteris conjuncta, pro mutuis Statibus  
justo bello committendis. Præcipue verò cum dicti Delegati si-  
mul significarent, se quidem potestatem non habere cum alio,  
quam Rege Daniæ, tractandi; certò tamen scire, si res adhuc, vel  
ad Imperatorem ipsum, vel ad Ducem Fridlandiæ, referretur, re-  
sponsum accepturos, quo esse possent contenti.

Indignum quidem jam videbatur, tot modis læsam, tam lu-  
dibrosis amplius processibus offerri patientiam: & consideratio-  
ne suâ non carens, an & quomodo à parte læsa res ad Imperato-  
rem [quo cum aliàs nulla ejusmodi communicatio S. R. M<sup>ti</sup>, an-  
te hac usitata erat) referretur; vijs omnibus in toto Imperio Ro-  
mano prohibitis & tractatu Lubecensi tam properè ad finem ver-  
gente. Nè tamen ullus quæsitæ publicæ tranquillitas vel labor o-  
missus esset, difficultas obstaret sepositis omnibus considerationi-  
bus in contrarium, cum res ad Imperatorem ipsum referri non pos-  
set, eò tandem ab Illustri Regni Sveciæ Senatu inducta est S. R.  
M<sup>tes</sup>, ut statim mense Aprili, non solùm Collegio Electorali,  
tanquam præcipuo Imperij Romani fulcro cui ejusmodi, externis  
cum Regibus, processus maxime displicere rebatur, scriberet; ac  
de oportunis remedijs sollicitaret; sed etiam consentiret, Ut ab  
eodem Senatu, ad ipsum exercituum Generalem, simul ablegatus  
mitteretur, Præsens experturus, utrum, quæ inter mutuos exerci-  
tus exorta videbantur, mutuatorum quoq; exercituum conventio-  
ne adhuc tolli possent, controversiæ. Et missas statim est S. R.  
M<sup>tis</sup> Cubicularius Illustris. Dn. Steno Bielke, L. Baro in Kroke-  
rum cum adjunctâ potestate, ut si animos adversæ partis ad pacem  
promp-

promptos reperiret, etiam pro urbe Stralsundensi Armistitiū statu-  
erit, dum ulterioribus Tractatus præparatoriis peractis, plures  
Commissarij subsequerentur, rem totam omnimodæ transactioni  
subjecturi.

Verū cum is vere novo Stralsundium appelleret; & adversæ  
partis animos & totam rei faciem in pejus mutata deprehendit:  
Nec modò priores hostilitates, non sublatas, sed & recentibus de  
die in diem adauctas: Stralsundium variis iterum assultibus impeti-  
tum: omnes littoris portus in Sverici maris prædam armatos: &  
quod omnium iniquitatum iniquissimum erat, integrum jam exer-  
citus, bello nondum denunciato, denuò in Prusiam subornatum,  
idq; sub ipso Cæsaris Marschallo-campi Arnheimbio. Stetit qui-  
dem hæc mutatio, ut par erat, ulteriorem ejus progressum. Verun-  
tamen ne omninò mandata non deponeret, scripsit ad Ducem Frid-  
landiæ, quibus de causis expeditus erat: ac de iniquitate transmissi  
exercitus protestatus, ut listeretur, tum is, tum cæteræ hostilitates,  
postulavit: si sincera aliàs videri deberet Lubecensium Delegato-  
rum responsio.

Tantumverò abfuit, ut Dux Fridlandiæ vel exercitum revoca-  
ret, vel ulius promptitudinis significationem daret ad tractandum:  
ut majori etiam ludibrio, illusoria planè fuisse subdelegatorum suo-  
rum responsa, confirmaret; eâ potissimum de causa dictum mili-  
tem revocari non posse contendens, quod tot copiis abundaret Im-  
perator, ut hoc exercitu Arnheimbiano se exonerare necessum ha-  
beret; atq; ideò amico Regi Poloniæ contra Sveciam haud imme-  
ritò eum misisse; prout authenticæ adhuc literæ ostendunt. Nec  
quidquam amplius quod ad rem faceret ad repetita Ablegati postu-  
lata, nisi hoc ipsum, iteratò respondere, voluit: Sed dictum exercitū  
iter maturare fecit; qui eâ quoq; pugnandi acrimoniâ, per totam præ-  
teritam æstatem, in Prussia contra S. R. Mtem Regnumq; Sveciæ usus  
est, ut nisi justus iniquitatis Vindex Deus nefariæ intentionis conatus  
in propria ejus capita pensasset, non exiguum Serm. Regi Regnoq;  
Sveciæ, cum omnibus suis amicis, periculum impendisset.

Dubitare ne igitur jam quisquam amplius potest, utrum satis  
causæ habuerit, Sermus Rex Sveciæ, cur pacificis cogitationibus

B

seposi-

sepositis, pro sui suorumq; defensione arma jam dudum caperet, se-  
sequi ad bellum pararet. Quod tamen adhuc restabat, quod armorum maturitatem,  
aliquousq; remorari videbatur; expectatio scilicet responsi ad re-  
gias literas à collegio Electorali: & Sereni Regis Daniæ interven-  
sus, qui, ad S. R. Mitis instinctum, præterita statim hyeme rem ad  
tractatus etiamnum urgere cepit. Certè enim quamdiu per tracta-  
tum digna aliqua damnorum injuriarumq; reparatio & vicinæ se-  
curitatis cautio operari potuerat: nunquam tam fuerat vindictæ  
cupida S. R. Mitas quin, pro suo in rem communem publicamqve  
quietem Zelo, libenter passa fuisset, ut tractatu potius quàm at mis-  
res finiretur.

Verùm cum ab initio mensis Aprilis, hujus anni M. DC. XXX,  
quo dies conventui dictus erat ad Dantiscum in Prussia, in hunc us-  
que mensem Junium, nulla ex parte lædente, erga læsæ partis præ-  
sentem ibi commissarium (suam ad tractandum promptitudinem  
& potestatem etiam per literas Gedanum referentem) tractatus si-  
gnificatio facta sit: quàm sincerè pax publica quærat ex eo haud  
difficuler judicari potest, Præsertim verò cum & antegressa prio-  
rum temporum ludibria, & ea, quæ post expeditos Dantiscum com-  
missarios suos fecerunt (munitiora loca transitusq; in Pomerania  
occupando seseq; acrius quàm antehac ad bellum parando: haud  
obscurè moneant, quàm securitate ejusmodi tractatui fidendum sit.

Collegium Electorale quod attinet, id quidem plurimum ea in-  
re præstare potuisset & præstiturum fuisse S. R. Mitas certò sibi per-  
suasum habebat, si antiqua Ordinum Imperij libertas salva esset, nec  
tantas jam radices egisset malevolorum in eo potentia, ut remedium  
omne internum respuere velle videatur. Et laudavit quidem in suo  
responso [quod nupero mense Aprili Stocholmiæ insinuatam est]  
Serenissimi Regis Sveciæ pacificas intentiones, oblatumq; transac-  
tionem: ac pro parte sua amicitiam reciprocam offerebat. Sed  
cum nè verbo quidem tangeret illatarum injuriarum remedia, quæ  
literæ Regiæ potissimum requirebant: annon necessitatem Sux Mitis  
reliquerunt, sibi ipsi de oportunitis remediis providendi!

Quocir-

Quocirca cum tot tamq; graves injuriæ S. R. Mti realiter illatæ  
sint: interceptæ ac referatæ suæ literæ: subditi, ministri ac milites  
spoliati & in servitutum abducti; communibus naturâ commercii  
interdictum; hosti, pax toties dissuasæ, & in regni Sveciæ perniciem  
ingentes supplicia latæ: econtrâ, Regi Sveciæ nè quidem innoxio-  
transitu concessio: quinimo amici, vicini & consanguinei, sub sui  
nominis invidia oppressi, Dominiis exuti, ac tantum non penitus  
extirpati; Oratores pacis supra morem barbarum, ignominiosè re-  
jecti: ac bistandem exercitus hostilis immissus, idq; absqve omni  
data causa vel prætextu: annon hæc universa, imò singula, annu-  
ente omnium gentium consensu, ratione svadente, naturâ ipsâ pænâ  
impellente, dignissima sunt, de quibus, nisi justa reparatio interces-  
serit, justissima vindicta sumatur? Cum tot minæ, tanti apparatus,  
tot molimina, etiamnum in omnium balthicorum portuum, ipsi-  
usq; adeo maris ludibrium ostententur, ex quibus nusquam non o-  
mnia, terra mariq; consilia, facta, destinata; in sui exitum quasi con-  
spirasse videntur: annon vel invito jus defensionis iniiciunt, ut sal-  
tem more belli omnium gentium moderamen præstet inculpata  
tutelæ? Cum tot juris vias tentanti, nulla amplius legitima remedia  
concedantur, imò nusquam non hostilitates obijciantur: annon  
jus tandem ipsum in vim vi opponendam converti postulare.

Nulla igitur alia ratio cum amplius superfit expediundæ salu-  
tis, quàm ut, secundum Deum, armis suam suorumq; securitatem  
commodet, orbi Christiano his dijudicandum committere voluit,  
quo suo merito, & quàm invitè ad tantas extremitates adacta sit.  
Solutus quidem Stralsundicæ Civitatis succursus avarissimorum ho-  
minum ambitioni jam primum obtenditur: Sed quem ipsi tot ante-  
gressarum hostilitatum illatione provocarunt: & quem postea, uti  
dictum, in securitatem communem pietas & tot rationes S. R. Mti,  
Imperij Romani bono, expresserunt.

Quod si quæ aliàs, vel auxilia contulisset in hostes Imperatos  
aut Imperij Romani, vel adversa fœdera cum eorum inimicis fecis-  
set, vel saltem consilium aliquod aliud in eorum præjudicium effe-  
ctui mandasset: nemo miraretur diffidentiam, & hinc profluentem  
aliqua-

aliqualis v̄ndictæ talionem. Nunc cū ea semper fuerit, pacificæ destinationis suæ constantia, ut non solum toto hoc Germanico bello inuolatè seruarit amicitiam & neutralitatem; Sed nec ante nec post illud, vel in minimo, dederit legitimum ullum offensionis prætextum; non potest non de tantâ indignitate, coram toto mundo, iustissimo dolore q̄veri.

Quare, quemadmodum arma hæc sua etiam nūm̄ in ullum Imperij Romani (q̄uo cum nihil sibi inimiciæ intercedit) præjudicium expedita esse protestatur; sed solum ad suam suorumq̄; ac publicæ libertatis tutelam; usq̄uedum amici & vicini in eum statum constituentur, in q̄uo ante hoc bellum tota vicinia tamdiu pacatè floruit, & ex q̄uo potissimum civitas Stralsundensis, & mare balthicum regnumq̄; Sveciæ sibi imposteriorum certiozem securitatem polliceri poterunt: Ita nullus dubitat; quin æquus lector & vel ipsa gentium, salus tam iniquos adversæ partis processus, uti meruerunt; improbet ac detestetur: certoq̄; sperat tūm æquiores omnes Germanos, tum totum orbem Christianum, innocentiam hanc suam & justas armorum vias, ad tam injustam persecutionem legitimè sistendam directas, favore profecturos.

*Authentica litera si opus est, breui  
subsequentur.*

F  
I N I  
S,









SVE  
&Va

G

C

Æ,

s Prin

UIS

IS,

IORVM,

ceps Finlan

ec non

iam

use

XXX,

IS.

